

Psalmus responsorius

Ps 144, 1-2. 8-9. 10-11. 13cd-14 (R̄.: cf. 1)

R̄. Benedícam nómini tuo in sáeculum, Deus meus, rex.

¹ Exaltábo te, Deus meus rex,
et benedícam nómini tuo
in sáeculum et in sáeculum sáeculi.

² Per síngulos dies benedícam tibi
et laudábo nomen tuum
in sáeculum et in sáeculum sáeculi. R̄.

⁸ Miserátor et miséricors Dóminus,
longánimis et multæ misericórdiæ.

⁹ Suávis Dóminus univérsis,
et miseratiónes eius super ómnia ópera eius. R̄.

¹⁰ Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua;
et sancti tui benedícant tibi.

¹¹ Glóriam regni tui dicant
et poténtiam tuam loquántur. R̄.

^{13c} Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis *
et sanctus in ómnibus opéribus suis.

¹⁴ Allevat Dóminus omnes qui córruunt *
et érigit omnes depréssos. R̄.